



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Commentarius Secundus In Octo Libros Physicorum Aristotelis

Crespin, François

Bruxellæ, 1652

Disputatio I. De Principiis Physicis, seu Corporis Naturalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95369)

hinc patet solutio ad Confirmationem.

XLII. Objicies 2^o, Medicina est pars Physicæ; sed illa non est speculativa, ergo, &c.

XLIII. Respondeo negando majorem, quia ab illa distinguitur objecto formali *sub quo*; quod autem aliqui volunt Medicinam Theoricam, id est, quæ considerat naturam morborum & medicamentorum, esse partem Physicæ; non verò practicam, id est, quæ tradit modum corpora sanandi; non facit Medicinam speculativam & partem Physicæ; quia, præterquam quòd illa sit pars Medicinæ minus

principalis, & Medicina ratione ipsius dici quidem possit continere per accidens conclusiones aliquas speculativas, & ad Physicam pertinentes; per se tamen dici debet scientia practica distincta à Physicæ; tum propter objectum formale *sub quo*, quod habet ab ea specie distinctum; tum quia speculationem morborum & medicamentorum ordinat ad sanandum Corpus Naturale. Ex dictis

XLIV. Colliges Physicam rectè definiri, *Scientiam contemplatricem Corporis Naturalis, ut Naturalis, cum ei circumadjacentibus.*

PHYSICÆ

PARS PRIMA

De Corpore Naturali, ejusque Principiis & Affectionibus.

TRACTATUS I.

IN LIBRUM PRIMUM

PHYSICORVM.

IN hoc Libro disputat Aristoteles de Principiis Corporis Naturalis in genere & specie, docetque ea esse plura, contra Milesium, Heraclitum & alios; non tamen infinita, contra Anaxagoram; sed tria, *Materiam, formam & privationem*, contra Parmenidem & Pythagoricos: de quibus præsentem Tractatum instituimus.

DISPUTATIO PRIMA

De Principiis Physicis seu Corporis Naturalis.

DUBIUM I.

Quid sit principium in genere, & quotuplex.

INtè Resolutionem
Suppono Principium in genere summi dupliciter: primò, ità ut sit tantum commune ad Principia Physica, de quibus dubio 2^o. Secundò, ità ut sit commune ad illa, & omnia alia, sive Physica sint, sive Metaphysica, sive compositionis, ut partes componentes, sive productionis, ut sunt causæ & origines, sive cognitionis, de quibus in Logica, ut sunt signa respectu rerum, quas significant; præmissæ respectu conclusionis, ad quam intellectum movent, sive Corporis Naturalis: hoc autem supposito, sit

RESOLUTIO I.

ICO 1^o, Principium generalissimè sumptum est id, unde aliquid est, sit, aut cognoscitur.

tur. Ita Aristoteles 5^o. Metaph. cap. 1^o. D. Thomas 1^a. p. q. 33. art. 1^o. est, limita tamquam per partem componentem: sit, extende tamquam à causâ, sub qua juxta Patres Græcos includit Personas, Patris respectu Verbi, & Patris & Verbi respectu Spiritus Sancti, de quibus nos infra agendo de causâ in genere: cognoscitur, puta tamquam per signa, speciem vel causam finalem.

RESOLUTIO II.

ICO 2^o, Principium generalissimè sumptum rectè. Dividitur primò in essentiali & accidentale: Essentiali est quidquid essentialiter componit rem principiatam; sive Physicum sit, ut materia, forma & substantia; sive Metaphysicum, ut genus, differentia & hæcceitas: Accidentale est, quod rem principiatam essentialiter non componit, sed est extrinsecus essentiali, ut signum respectu rei significatæ, præmissæ respectu conclusionis, causa respectu effectus; ità omnes communiter,

niter, quod infra examinabimus.

IV. Dividitur 2^o, in Principium per se; & est, quod ex natura sua principiat, ut ignis respectu caloris; & Principium per Accidens, & est, quod non ex natura sua principiat, sed præcisè, quia est cum alio conjunctum, ut forma corrupta, quæ, quia est necessario conjuncta cum privatione, quæ est Principium per se generationis in fieri, dicitur Principium per accidens generationis in fieri.

V. Dividitur 3^o, in Principium absolute primum, & est, quod nullum aliud absolute præsupponit, ut ens; & Principium secundum quid primum, & est, quod non in omni omnino genere Principiorum primum est, sed in certo duntaxat, ut Deus, qui etsi nullum Physicum, uti Adamus nullum humanum, præsupponat; Deus tamen ens, tamquam Principium Metaphysicum, Adamus Deum, tamquam Principium Physicum præsupponit.

D V B I V M II.

Quid sit Principium Physicum strictè sumptum.

VI. **A** Ntè Resolutionem Suppono, duplex assignari posse Principium Physicum, sive Corporis Naturalis completum: unum latè, & est, Quod rem quidem Physicè principiat, sed non ut pars illius essentialis. Tale est omnis causa efficiens, initium lineæ, primum instans horæ, &c. Alterum strictè (de quo hic) & est, quod Physicè rem principiat: ut pars essentialis illius. Per partem autem essentialem intelligunt Philosophi id, quod est de conceptu primario objectivo ipsius rei in recto. Hoc supposito, sit

R E S O L U T I O.

VII. **D** Ico, Principia Physica strictè sumpta, sunt, Quæ neque ex aliis, neque ex se invicem, sed omnia ex ipsis sunt. Ita Aristoteles capite 5^o, supra Textu 42^o, hujuscè definitionis definita, ut patet, sunt Principia Physica strictè sumpta; genera verò definitorum, Principia generalissimè sumpta ut talia differentia denique definitorum, cætera, quæ in definitione ponuntur.

VIII. Dictum est 1^o, Quæ neque ex aliis puta, tamquam ex partibus essentialibus Physicis: undè licet materia fiat ex partibus integralibus, ex genere & differentia, &c. manet tamen Principium Physicum strictè sumptum, eo quod partes integrales non sint illi essentialis, nec genus & differentia illi partes Physicæ: item licet forma fiat ex materia, etiam manet Principium Physicum strictè sumptum; quia materia non est pars essentialis formæ.

IX. Addunt nonnulli, nec masè, sub ly neque ex aliis, audiendum in eodem ordine principiandi; quia Aristoteles vult, quod Principia sint contraria secundum ordinem principiandi; per quod excludunt partes integrales, nec non genus & differentiam, ab esse Principii materiæ, quia eam non principiant ut causa ejus materialis, ut causa ejus inadæquata essentialis Physica, &c. quomodo materia corpus completum naturale principiat: item per hoc excludunt materiam ab esse Principii formæ; quia fortè materia non est causa formalis formæ, nec ejus causa inadæquata essentialis Physica, quomodo forma dictum corpus principiat. Ex his

X. Colliges aërem, ut Anaximeles & Diogenes; aquam, ut septem Græciæ Sapientes; ignem, ut Hæspasius; terram, ut Hæfiocles, voluerunt, non esse Principia Corporis Naturalis strictè Physica; quia ex aliis fiunt, scilicet ex materia, forma & privatione: neque etiam ex ipsis omnia fiunt; nam ex aëre non fit aqua, neque ex aqua ignis, tamquam ex parte essentiali Physica.

XI. Dictum est 2^o, Neque ex se invicem, puta tamquam ex parte essentiali Physica, aut in eodem ordine principiandi, modo statim explicato.

XII. Dictum est 3^o, Sed omnia ex ipsis fiunt, puta tamquam ex parte essentiali Physica, ut antè; & non, ut communiter, tamquam ex parte essentiali aut termino extrinseco; quia ubi Aristoteles verborum sensum non mutat, & mutandi non est specialis necessitas, nec nos cum mutare debemus. Pars autem essentialis Physica est duplex; una intrinseca ut corpus respectu hominis; alia extrinseca, ut privatio respectu mutati, sive mutationis in facto esse, quæ ab aliis dicitur terminus extrinsecus; ne tamen pars essentialis dicatur, quo sensu Principium hic ab Aristotele sumitur, nihil obstat, ut dubio tertio patebit.

XIII. Adde 1^o, per ly omnia intelligi, tum Corpora Naturalia completa; per distributionem tamen accommodam; quia corpus completum simplex (si detur) non fit ex ipsis, sive ex materia & forma; tum ea, quæ per generationem fiunt; quia nec anima rationalis, nec Angeli ex ipsis fiunt.

XIV. Adde 2^o, sub ly ex ipsis debere audiri genericè, specificè, vel individualiter; nam neque ex hac numero materia, neque ex hac numero forma, fiunt omnia Corpora Naturalia completa; sed ex aliqua talis generis vel speciei materia aut forma.

D V B I V M III.

Quot sint Principia Corporis Naturalis Physica strictè sumpta.

XV. **A** Ntè Resolutionem Suppono 1^o, Principia Physica strictè sumpta, rectè dividi in Principia Corporis Naturalis in fieri, sive generationis ut mutationis, quæ sit transitus de non esse ad esse formæ in subiecto; & in Principia Corporis Naturalis in facto esse, sive generati aut mutati.

XVI. Suppono 2^o, Corpus Naturale posse considerari dupliciter: Primò prout est in mente Ethnici & Infidelis errantis, & hoc modo definitione adæquatà definitur, Corpus constans materiâ & formâ: Secundò prout reipsa est à parte rei, & hoc modo à Catholico & fidei definitione adæquatà definitur, Corpus constans materiâ, formâ & substantiâ.

XVII. Suppono 3^o, generationem Corporis Naturalis posse etiam dupliciter considerari: primò ut actionem, quomodo est productio formæ & substantiæ in subiecto receptionis: Secundò ut mutationem, quomodo est transitus de non esse formæ & substantiæ, ad esse illarum in subiecto receptionis.

XVIII. Suppono 4^o, ex mente Aristotelis dubium procedere de Principiis Corporis Naturalis reipsa Physicè completi, licet ipse in fide errans, voluerit compositum ex materia & forma esse Physicè completum; nec præter agnoverit substantiam ab eis realiter distinctam; & ideo materiam,

formam & privationem dumtaxat assignando non nisi Principia Corporis Naturalis incompleti assignantur: nam Principia eorum quærebat, quæ in dies videbat generari, illa autem erant Physicè completa.

xix. Suppono 5^o, problematice defendi posse, vel unam tantum esse materiam & formam indivisibilem substantiam, vel duas partiales, quarum una sit unius, altera alterius, ut infra Disputatione 4^a videbimus. His suppositis, sit

RESOLUTIO I.

xx. **D**ico 1^o, contra P. Oviedum hic, generationis Corporis Naturalis, quod reipsa est à parte rei, ut Generationis, nulla sunt Principia Physica strictè sumpta.

Probat, quia si quæ essent, maxime materia & forma essent (ut docet P. Oviedus,) sed illæ non sunt, ergo, &c.

Probat minor, quia generatio ut generatio non est mutatio (ut fatetur) sed actio (ut sequitur); atqui materia & forma non se habent ad actionem generativam ut partes essentielles Physicæ, sed materia tamquam subiectum, & forma tamquam terminus ad quem, ergo, &c.

xxi. Nec dicas cum eodem, generationem, ut generationem nec esse, nec concipi posse sine materia intrinsecè in se recipiente generationem, & sine forma ab ea recipiente esse; quia hoc non sufficit ad hoc, ut materia & forma dicantur ejus Principia Physica strictè sumpta: nam (ut vidimus, quod & ipse sentit) Aristoteles hic agit de Principiis intrinsecè essentialibus Physicis, qualia materia & forma non sunt respectu generationis ut generationis.

RESOLUTIO II.

xxii. **D**ico 2^o, contra Scotistas, Thomistas, & Arriagā, Telles, Compt. ac alios & Soc. quos legi: generationis Corporis Naturalis, quod reipsa est à parte rei, ut mutationis quinque sunt, vel septem Principia Physica strictè sumpta: materia scilicet, forma & privatio ejus; item una substantia totalis & privatio ejus; vel duæ partiales substantiæ & duæ privationes earum; prout hæc vel altera pars problematis, de quo supposito quarto, assumetur.

xxiii. Probat 1^o, quia illis quinque vel septem positis, intelligitur generatio Corporis Naturalis, quod reipsa est à parte rei, ut mutatio; &c, vel uno eorum ablato, non intelligitur; ergo, &c.

Probat antecedens, quia generatio Corporis Naturalis, quod reipsa est à parte rei, ut mutatio, est transitus de non esse formæ & substantiæ, ad esse formæ & substantiæ, in subiecto; sed illis quinque, vel septem positis, intelligitur hic transitus, & uno eorum ablato, non intelligitur, ut consideranti patebit, ergo, &c.

xxiv. Probat 2^o, in primis quoad materiam, formam & privationem, omnes cum Peripateticis conveniunt, estque ipsius Aristotelis hic & 8^o Metaph. & D. Thom. quoad unam verò, vel duas substantias, & ejus unam, vel duas privationes, sic probatur; primo, quia, cum substantia sit ultimum complementum substantiale Physicum, Corpus Naturale non potest esse Physicè completum (de quo Aristoteles hic) sine illa; secundò, quia hic quærentur omnia Principia, quibus convenit allata ab Aristotele, & à nobis supra recensita Principiorum

Physicorum strictè sumptorum definitio: sed illa convenit uni, vel duabus substantiis, & uni, vel duabus earum privationibus, ergo, &c.

xxv. Confirmatur, non est potior ratio numerandi inter Principia Physica strictè sumpta generationis Corporis Naturalis quod reipsa est à parte rei, ut mutationis, formam & privationem formæ, quam substantiam & privationem substantiæ; præsertim cum simus dicturi infra, substantiam non minus esse naturam partialem, quam sine materia & forma; sed illæ ab omnibus numerantur; ergo & hæc numerari debent: major patebit solutio Argumentorum.

xxvi. Objicies 1^o, nusquam ab Aristotele, Sancto Thoma, aut ullis aliis, plus quam tria Principia Physica strictè sumpta generationis Corporis Naturalis ut mutationis adferuntur; ergo, &c.

xxvii. Respondeo, Argumentum ab Autoritate negata, nullius esse roboris: secundò Aristotelem hic non audiendum, quia sicut contrà fidem erat, non agnoscendo substantiam realiter distinctam à materia & forma; ita consequenter hic errat, enumerando tria tantum Principia Corporis Naturalis, quod reipsa est à parte rei; S. Thomas verò non loquitur ex propria sententia, sed Aristotelis, vel ex communi sui temporis, sicut & hujus, secundum quam non assignantur nisi Principia partis Corporis Naturalis, ut præcisè à parte rei natura est, sive ut secundum mentem Ethnici est Physicè omni præcisè substantiæ completum, & ut reipsa est à parte rei, quomodo includit substantiam à materia & forma realiter distinctam.

xxviii. Instabis ex Reverendis Patribus Oviedo & Comptono, hic tantum quærentur Principia Corporis Naturalis seu naturæ; non verò supposita, quibus sunt quinque; ergo, &c.

xxix. Respondeo negando assumptum, non enim hic agitur de Corpore Naturali ut condistincto à suppositualitate aut substantia, ut putat P. Oviedus, quia de illo ut sic nihil unquam somnavit Aristoteles; sed de Corpore Naturali, quod videbat Aristoteles in dies generari, quod reipsa, & à parte rei erat Physicè completum ex substantia, ut fides habet; deinde nullà ratione id dici potest, cum definitio principiorum Corporis Naturalis Physicorum strictè sumptorum, supposito, sive potius suppositualitati aut substantiæ, conveniat, æquæ ac formæ; omnia enim Corpora Naturalia ex substantia fiunt, neque illa ex aliis, aut alia ex ipsa eodem principiandi modo, scilicet per modum ultimi termini substantialis intrinseci, aut etiam tamquam ex parte sua Physica essentiali, fiunt; cuicumque verò convenit definitio, convenit esse definitum.

xxx. Objicies 2^o, substantia principiat à forma, & privatio substantiæ à privatione formæ; ergo nec substantia, nec privatio ejus est principium strictè Physicum, &c.

xxxi. Respondeo distinguendo Antecedens; substantia à forma, & privatio substantiæ à privatione formæ, late principiat, concedo Antecedens; strictè Physicè, nego Antecedens; quia neque substantia ex forma, neque privatio substantiæ ex privatione formæ fit, tamquam ex parte essentiali Physica, neque in eodem ordine principiandi; siquidem forma principiat in genere causæ formalis, substantia in genere termini ultimi intrinseci substantialis; privatio autem formæ in genere causæ formalis privativæ; privatio verò substantiæ in gene-

re termini ultimi intrinseci substantialis privativi.

xxxii. Obijcies 3^o, nulla privatio constituit Physicè essentialiter generationem Corporis Naturalis ut mutationem; ergo ut summum sunt tria Principia, &c. probatur Antecedens, quia alioqui etiam formæ, quibus privationes privant, & generans sive mutans, eam constituere deberent; quo casu absurdè multiplicarentur Principia, &c.

xxxiii. Respondeo negando Antecedens, ad ejus probationem; distinguo sequelam pro prima parte; alioqui etiam formæ advenientes eam constituerent, concedo assumptum; pereuntes, nego assumptum; ratio est, quia ad generationem ut mutationem requiritur quidem, ut in priori temporis sint privationes formæ & subsistentiæ advenientium; non tamen pereuntium; quia, ut per se patet, ad transitum de non esse formarum ad esse illarum in subiecto, qui est ipsa generatio ut mutatio, sufficit formas advenientes non fuisse in priori temporis, & esse in posteriori in subiecto, sive aliæ formæ, quæ pereant, præcesserint, sive non.

xxxiv. Dixi in priori temporis; quod enim aliqui dicant sufficere si præcesserint in priori naturæ, est omnino intelligibile: primò, quia instantia naturæ sunt instantia causalitatis; privationes autem non possunt habere causalitatem ad formas sibi contradictoriè oppositas: secundo, quia, cum instans debeat sumi indivisibiliter, quod in priori naturæ est, necessum est esse in toto instanti reali; unde simul essent in aliquo instanti reali in eodem subiecto formæ & privationes earumdem, quod omnino repugnat, & intelligi non potest.

xxxv. Respondeo 2^o, distinguendo sequelam pro secunda parte; & generans sive mutans eam Physicè essentialiter constituere deberet; si generatio ut mutatio sumatur activè, transeat: transeat, inquam, quia id falsum esse clarè colligitur ex Resolutione prima contra P. Ovidum: si sumatur mutatio neutraliter, prout eam hic sumimus, nego sequelam; quia sive formæ, quarum privationes erant in priori temporis in subiecto, sint ab aliquo generante vel mutante, sive seipsis per possibile vel impossibile advenientes, intelligitur totus transitus de non esse illarum in subiecto, ad esse illarum in subiecto; ac proinde tota generatio ut mutatio.

xxxvi. Instabis, datur vera generatio, & Corpus Naturale in fieri, ubi nulla datur privatio formæ aut subsistentiæ, sive pereuntis, sive advenientis; ergo nulla privatio est Principium Physicum strictè sumptum generationis, &c. probatur Antecedens ex ipsa conditione mundi; quando enim mundus conditus est, materia, forma & subsistentia terræ, aquæ, &c. eodem instanti reali productæ sunt (ut multi volunt) ac proinde nulla potuit præcedere formæ vel subsistentiæ privatio in materia, ergo, &c.

xxxvii. Respondeo 1^o, distinguendo Antecedens, datur vera generatio ut generatio, ubi nulla datur privatio, &c. concedo Antecedens, de quo fuit in Libris de generatione; ut mutatio, nego Antecedens; ad probationem autem ejus Respondeo, ibi quidem fuisse generationem ut generationem; non tamen generationem ut mutationem, quæ sit juxta mentem Aristotelis privatio formæ in subiecto prius tempore existente, vel formæ, quæ prius extitit in subiecto; cum enim ipse putarit mundum fuisse ab æterno, primam generationem non agnovit; ac proinde putavit omnem generationem ut

mutationem esse privationem formæ in subiecto prius tempore existente.

xxxviii. Respondeo 2^o, negando Antecedens, ad ejus probationem concedo assumptum pro prima parte; pro secunda verò distinguo; ac proinde nulla potuit præcedere formæ vel subsistentiæ privatio, si privatio sumatur pro carentia formæ in subiecto prius tempore existente, vel formæ, quæ prius extitit in subiecto, quomodo eam sumit Aristoteles, concedo assumptum; si privatio sumatur pro non existentia formæ in subiecto, sive prius existente, sive non, quomodo mundus ab æterno productus, adhuc diceretur transiisse de non producto ad productum, ex nihilo creatum esse, &c. nego assumptum; in conditione etenim mundi talis fuit dictarum formarum privatio, quæ ad veram generationem sufficit: unde falsa est conclusio P. Comptoni hic, quæ dicit de conceptu generationis præcisè ut generationis, non esse ullam privationem.

xxxix. Obijcies 4^o, generatio ut mutatio est ens, privatio non ens; sed ex non ente non potest fieri ens; ergo privatio non est Principium, &c.

xl. Respondeo distinguendo majorem, generatio ut mutatio est ens purum & simultaneum, nego majorem; est ens mixtum & successivum, concedo majorem: verum ex ente, & non ente potest fieri ens mixtum & successivum, ut patet in hora, quæ componitur ex præsentis & præteriti; mutatio enim nihil aliud est, quàm transitus de non esse, &c. & corpus generari sive mutari, nihil aliud est, quàm formam illius de non esse in subiecto, transire ad esse in subiecto; ibi autem essentialiter Physicè includitur non ens & ens.

xli. Obijcies 5^o, si privatio esset Principium, &c. aliquando principietur; sed dici non potest quando principiet, ergo, &c.

xlii. Respondeo 1^o, dici posse principiare quando non est, per primum scilicet sui non esse; id quæ esse modum proprium principandi terminorum à quo, uti est privatio; quia illi desinendo principiant; sed hoc potius est formam oppositam principiare, quàm privationem; quare aliter.

xliii. Respondeo 2^o, melius dici principiare quando est, & per ultimum sui esse; ac proinde principiatum, utpote in negativo seu privatione inadæquatè essentialiter consistens, tunc inadæquatè esse, quando est privatio: proprium autem est successivorum, prius inadæquatè esse, & pro parte constitui, quàm totum; quia totum successivum nunquam simul totum existit.

RESOLUTIO III.

xliv. **D**ico 3^o, contra eosdem, Corporis Naturalis Physicè completi in facto esse, tria sunt Principia Physica strictè sumpta, materia scilicet, forma & subsistentia, si supponas dari unam subsistentiam totalem materiæ & formæ communem, aliàs si duas partiales, erunt quatuor, videlicet materia & forma, ac duæ subsistentiæ partiales.

xlv. Probatur, quia illis tribus positis intelligitur Corpus Naturale Physicè completum in facto esse; & vel uno ex illis ablato, non intelligitur; ergo, &c. Antecedens patet ex Resolutione secunda.

xlvi. Confirmatur 1^o, omne Corpus Naturale Physicè completum resolvitur in materiam, formam & subsistentiam, & non in aliud Principium, ut v.g. privationem; quia Aristoteles hic capite sexto eam à Corpore Naturali in facto esse excludit.

ajens privationem esse Principium ex accidente, puta respectu illius in facto esse; siue enim illa præcesserit, siue non, Corpus Naturale in facto esse idem manet, ergo, &c.

XLVII. Confirmatur 2^o, quoad substantiam, de qua tantum potest esse difficultas; Principiorum Physicorum strictè sumptorum ex Aristotele allata definitio est Principiorum Corporis Naturalis Physicè completi absolute, & non solum secundum esse naturæ, ut supra vidimus; atqui illa definitio haud minus convenit substantiæ, quam materiæ & formæ; ergo substantia est Principium Physicum strictè sumptum Corporis Naturalis in facto esse, haud minus, quam materia & forma: quod autem dicit P. Ovidius substantiam non esse ens Physicum, sed Metaphysicum, caret fundamento; quia arbitrium est; de illa in Physica (uti nos) quomodo diceretur ens Physicum; vel in Metaphysica, propter quod dicitur ens Metaphysicum, tractare; imò in Physica de illa tractari debet, cum illi conveniat Principii Physici strictè sumpti ab

Aristotele allata, & communiter recepta, definitio.

XLVIII. Objicies fortè, allata Principiorum definitio convenit unioni; ergo si substantia sit tale Principium, erit & unio.

XLIX. Respondeo distinguendo Antecedens, convenit unioni *ut quo*, concedo Antecedens; verum ut sic est tantum principatio: *ut quod*, prout Principio convenire debet, nego Antecedens; simile enim quid contingit in actione, quæ non dicitur causa, sed causalitas, eo quod ipsi tantum conveniat *ut quo* definitio causæ: undè, sicut actio non dicitur causa simpliciter, sed cum addito *ut quo*; ita unio non dicitur simpliciter Principium Physicum strictè sumptum, sed cum addito *ut quo*: imò sicut actio melius dicitur simpliciter causalitas, quam causa *ut quo*; ita unio melius dicitur simpliciter principatio, quam Principium *ut quo*. Adde unionem actioni identificari; ac proinde, sicut hæc non potest esse Principium strictè sumptum Corporis Naturalis in facto esse, ita nec illa.

DISPUTATIO SECUNDA

De primo Principio Corporis Naturalis siue Materia prima.

DUBIUM I.

Quid sit Materia prima, & an detur.

RESOLUTIO I.

I. **D**ICO 1^o, materia (quæ non malè à matre secundum Etymon dicitur, eo quod sit formarum omnium materialium Principium, ferè ut mater prolium) definitur ab Aristotele 7^o Metaphysicorum Textu 8^o, *Materia est quæ per seipsam, neque est quid, neque quantum, neque quidpiam eorum, quibus ens determinatur. Et Textu 69^o, Materia est quadam substantia, quæ ita se habet ad formas Naturales, sicut æs, aut lignum, ad formas artificiatas. Sed aliter (quam definitionem omnes sequuntur) 1^o Physicorum cap. 9^o. Textu 82^o. Primum uniuscujusque rei subjectum, ex quo, eo quidpiam fit pacto, ut non per accidens insit. Ly subjectum, in quo convenit cum formis substantialibus respectu accidentalium, est genus definiti; ly primum, & cætera omnia, differentiarum locum obtinent.*

II. Per ly primum nempe sustentationis, educationis, &c. subjectum, juxta probanda dubio sequenti, distinguitur à composito & forma; quia hæc materiam, siue subjectum ut sic præsupponunt: sub ly uniuscujusque audire debes formæ substantialis educibilis, ne putes materiam esse subjectum sustentationis, educationis, &c. Angelorum, formarum spiritualium, &c. Ex quo eo fit pacto, ut non per accidens insit, id est, ex quo tamquam parte essentiali fit unum per se; per quod excludit substantias completas, tam spirituales, quam Materiales, ex quibus insit, non fit nisi unum per accidens, ex præmissis autem.

III. Colliges, Materiam constare genere & differentia positivis; nam ly primum & cætera, quæ se tenent ex parte differentiarum, nihil nisi negativum importare, speculatio est eximi Domini Caramuelis Metaph. Libro 3^o. Sect. 2^a. Disp. 4^a. dicentis ly Finitum, Corporeum, Materiale, &c. nihil esse positivum; quasi verò altera specierum oppositarum semper constitueretur per negationem differentiarum alterius; cur enim potius una, quam altera opposita-

rum per negationem constitueretur? ad tollendam autem vocum confusionem,

IV. Adverte per Materiam non semper significari Materiam primam jam definitam; sed interdum secundam, quæ est Materia prima informata formâ substantiali, vel Dispositionibus ad ejus productionem in Materia præviè requisitis; item & omne id, ex quo aliud artificiatum fit, quomodo lignum dicitur Materia ignis, filum Materia vestis; & de hac Materia videtur locutus Aristoteles, dum secundam Materiam definitionem Textu 69^o, supra citato attulit.

RESOLUTIO II.

V. **D**ICO 2^o, sistendo in Principiis fidei Divinæ, siue Conciliorum Lateranensis sub Leone decimo sessione octavâ, ac Viennensis Clementinâ de summa Trinitate decretis; non obscure colligitur dari substantias incompletas corpus & animam, Materiam & formam; in hac enim definitur animam non esse actum assistentem tantum, sed informantem; quid autem connaturalius informaret, quam substantiam aliquam incompletam? quæ cum sensibilis sit, & ad animam prævia, quantum experientia docet, rectè dicitur Materia prima; quod non obscure inferitur ex Athanasii Symbolo, in quo Christus dicitur perfectus homo, ex anima rationali, & humana carne subsistens, ergo, &c.

VI. Confirmatur autoritate SS. Patrum, Augustini, Ambrosii, Chrysostomi, Athanasii, D. Thomæ & aliorum, qui post Aristotelem hic cap. 6^o. eas agnoverunt, eosque omnes Philosophi & Theologi unanimiter sequuntur, exceptis nonnullis recentioribus Parisiensibus, qui nuperrimè, teste Camerario p. 2. q. 1^a, oppositum Parisiis defenderunt, & ideo merito à Parlamento Parisiensis proscripti sunt, ergo, &c.

RESOLUTIO III.

VII. **D**ICO 3^o, sistendo in luminis naturæ nude Principiis, non videtur efficaciter probari de facto dari Materiam primam. Resolutio hæc,